

vim habeant (et habent maximam), videre nemo potest. Atque etiam ad justitiam colendam, ad tuendas amicitias et reliquas caritates quid natura valeat, haec una cognitio potest tradere. Nec vero pietas adversus deos, nec quanta his gratia debeatur, sine explicatione naturae intelligi potest. —

Fin. II. 6. — Rhetorice, inquam, nos mavis, quam dialectice disputare? Quasi vero, inquit, perpetua oratio, rhetorum solum, non etiam philosophorum sit. — Zenonis est, inquam, hoc, Stoici: omnem vim loquendi (ut jam ante Aristoteles), in duas tributam esse partes. Rhetoricam palmae, dialecticam pugno similem esse dicebat, quod latius loquerentur rhetores, dialectici autem compressius. Obsequar igitur voluntati tuae, dicamque, si potero, rhetorice: sed hac rhetorica philosophorum, non nostra illa forensi; quam necesse est, quum populariter loquatur, esse interdum paullo hebetiorem. Sed dum dialecticam, Torquate, contemnit Epicurus, quae una continet omnem et perspicendi, quid in quaque re sit, scientiam, et judicandi, quale quidque sit, et ratione ac via disputandi: ruit in dicendo, ut mihi quidem videtur, nec ea, quae docere vult, ulla arte distinguit.

De orat. II. 38. Ex tribus istis clarissimis philosophis, quos Romam venisse dixisti, videsne Diogenem fuisse, qui diceret, artem se tradere bene disserendi, et vera ac falsa dijudicandi, quam verbo Graeco *διαλεκτικὴν* appellaret? In hac arte, si modo est haec ars, nullum est praeceptum, quo modo verum inveniatur, sed tantum est, quo modo judicetur. Nam omne, quod eloquimur sic, ut id aut esse dicamus, aut non esse, id si simpliciter dictum sit, suscipiunt dialectici, ut judicent, verumne sit, an falsum; et si conjuncte sit elatum, et adjuncta sint alia, judicent, rectene adjuncta sint; et verane summa sit unius cujusque rationis: et ad extremum ipsi se compungunt suis acuminibus, et multa quaerendo, reperiunt non modo ea, quae jam non